



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Directorivm Inqvisitorvm F. Nicolai Eymerici Ordinis Prædicatorum

Nicolaus <Eymericus>

Venetiis, 1607

Vrbanvs IIII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13589

Idem sanciuit Dominus Urbanus Papa III. rescripto quodam incipien. Catholicæ fidei, quod ex-
tat in inquisitione Brixien.

Edita anno Do-
mini 1254.

Ex Archiuo cõ-
uentus S. Fran-
cisci de Assisio.



ALXANDER Episcopus seruus seruorum Dei dilectis filiis vniuersis fratribus,
Predicatorum, & Minorum ordinum, inquisitoribus hæreticæ prauitatis per diuer-
sas Italiae partes à Sede Apostolica deputatis, & in posterum deputandis, Salutem
& Apostolicam benedictionem.

CATHOLICAE fidei negotium, quod plurimum insidet cordi nostro in
vestris prosperari manibus, ac de bono in melius procedere cupientes, ac volentes
omne ab eo impedimentum, omneque obstaculum remoueri: presentium vobis auctoritate mandamus,
quatenus in eodem negotio de diuino, & Apostolico fauore confusi, omni humano tractare deposito,
constanter ac intrepide procedentes, circa extirpandam hæreticam prauitatem tam de Lombardia, & Thu-
scia, quam de omnibus alijs Italiae partibus, cum omni vigilantia, omnique studio laboretis. Et si for-
san Magister, & Minister Generales alique Priores, & Ministri, Provinciales, ac Custodes, seu Guar-
diani aliquorum locorum vestrorum, prætextu quorumcumque privilegiorum, seu indulgen-
tiarum eiusdem sedis dictis ordinibus concessorum, aut concedendorum in posterum, vobis vel ve-
strum alicui, seu aliquibus iniunxerint, seu quomodo præceperint, vt ad tempus, vel quod ad ecce-
tos articulos certasve personas negotio superledeatis eidem: nos vobis vniuersis, & singulis auctori-
tate Apostolica districtius inhibemus, ne ipsis obedire in hac parte, vel intendere quomodolibet præ-
sumatis: nos enim priuilegia, seu indulgentias huiusmodi, quantum ad hunc articulum, tenore præ-
sentium reuocantes, omnes excommunicationis, interdicti, & suspensionis sententias, si quas in vos,
vel vestrum aliquos hac occasione ferri contigerit, irritas prorsus decernimus, & inanes. Nam si præ-
dicta sedes interdum Prælati aliquibus vestrorum ordinum per suas sub certa forma committat lit-
teras, vt ad exercendum inquisitionis officium contra hæreticam prauitatem aliquos suorum ordi-
num fratres assumere valeant, ipsosque cum expedire viderint, amouere, ac alios subrogare, non ta-
men per hoc quod ipsis ea dumtaxat de causa in hac parte committit, quia de Fratrum suorum ordi-
num idoneitate pleniorē habere notitiam præsumantur, aliqua eis super huiusmodi inquisitionis
negotio, vobis, immediate à prædicta sede commisso, & committendo facultas, vel iurisdic-
tio attribuitur, seu potestas. Datum Lateran. iij. Idus Decembris, Pontificatus nostri Anno Sexto.

I D E M.

*Excommunicati ratione criminis hæresis, vel alia de causa, cõplices, participes, seu socii criminis, in fau-
rē fidei recipiuntur ad testificandū contra hæreticos, credentes, defensores, fautores, et receptatores eorū.*

Edita anno Do-
mini 1261.

Ex Archiuo cõ-
uentus S. Fran-
cisci de Assisio.



ALXANDER Episcopus seruus seruorum Dei, dilectis filiis fratribus ordinis Mino-
rum inquisitoribus hæreticæ prauitatis in Provincia Romana, & administratione Beati Do-
nati, à Sede Apostolica deputatis, & in posterum deputandis, Salutem & Aposto-
licam benedictionem.

CONSVLVIT nos discretio vestra, vtrum illos, qui ratione criminis hæreseos, vel
alia de causa excommunicationis sententia sunt ligati, contra hæreticos, credentes, defensores, fau-
tores; vel receptatores eorum, ad testimonium perhibendum admittere, & stare dictis eorum, seu il-
lorum etiam debeatis, qui complices, participes, seu socios eiusdem criminis se fatentur. Quia igitur
si iidem excommunicati non admitterentur ad perhibendum testimonium contra tales, & dictis eor-
um, ac si fatentium non staretur, frequenter officium inquisitionis vobis commissæ, in dispendium
fidei contingeret impediri, quando præsertim vix, aut nullo modo potest, nisi per sic fatentes super hoc
veritas apparere, statumus in fauorem fidei, vt in huiusmodi inquisitionis negotio, dicti excommu-
nicati contra hæreticos, credentes, defensores, fautores, & receptatores eosdem, ad testimonium admit-
tantur, & stent tam illorum dictis, quam eorum, qui, vt prædictum est, socios eiusdem criminis se fa-
tentur, ex verisimilibus coniecturis, quæ ex numero deponentium, vel personarum tam deponentium, e-
quàm eorum contra quas deponitur qualitate, ac alijs circumstantijs conijci poterunt, sic fatentes non
falsa dicere præsumantur. Datum Lateran. Lateran. x. Calend. Februarij,
Pontificatus nostri Anno Septimo.

† Cap. in fidei
fauorem de hæ-
ret. lib. 6.

V R B A N V S I I I I.

*Inquisitores nullis obstantib; priuilegijs quorumlibet, aduersus omnes procedere possunt: eorum proces-
sus nõ impediuntur ob cõmissionem specialem procedendi Episcopis factam, neq; e conuerso: redentes ad
Ecclesiã facta abiuratione admittant, & absoluant: neminē damnet absq; consilio diæcesanorum: cum te-
stes examināt, duas adhibeant personas: ad acta sancti officij conscribenda, quilibet religiosi, qui prius no-
tarij fuerāt, assumantur: testium nomina non publicentur: citationes, examinationes testium, sententia-
rum denuntiat ignes committunt: peritos aduocāt, clerū, & populum conuocant: simpliciter, & de plano
proce-*

A procedunt: in absentes inquirunt: leges omnes in hæreticos editas obseruari præcipiunt: indulgentias largiuntur, & ipsi etiam Inquisitores consequuntur: Questuarios prædicatores compeſcunt: contra impediētes velut contra fautores procedunt: brachium sæculare inuocant: contradicētes per censuram Ecclesiæ compellunt. nullis priuilegijs suffragantibus.



VRBANVS Episcopus seruus seruorum Dei, dilectis filijs fratribus ordinis Prædicatorum, Inquisitoribus hereticæ prauitatis, in Lombardia & Marchia Ianuën. deputatis auctoritate Apostolica, & in posterum deputandis, Salutem & Apostolicam benedictionem.

Edita anno Domini 1761.

LICET ex omnibus mundi partibus, quæ Christiana religione censentur, re-

Ex Archiepiscopo Inquisitionis Bononiensis, & li. priu or. Fizz. fol. 58.

neamur ex officij nostri debito extirpare lethiferam pestem hereticæ prauitatis: in Italia tamen imminet nobis hæc sollicitudo propensius, vbi eandem pestem propter malitiam temporis, quæ in detrimentum fidei catholicæ peruersa genimina germinauit, ex vicinitate persensimus abundantius succreuisse. Vt igitur Inquisitionis officium contra hæreticos in prouincia Lombardiæ, videlicet, à Bononia & Ferraria inclusiue, vsque ad vltimos fines superiorum partium eiusdem prouinciæ, ac Marchia Ianuën. auctoritate Apostolica possit efficacius adimpleri: discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, in remissionem vobis peccaminum iniungentes, quatenus in charitate Dei, hominum timore postposito, virtutem spiritus induentes ex alto, prædictum officium vbi que iuxta præfatos limites; simul vel separatim, aut singulariter, prout negocij, utilitas suadebit, sub ipse mercedis æternæ, sic efficaciter prosequi, & exequi studeatis, vt per sollicitudinis vestræ prudentiam, de prædictis Lombardia & Marchia radix iniquitatis hereticæ succidatur: & vinea Domini exterminatis vulpeculis, quæ peruersis moribus demoliuntur eandem, fructus afferat catholica puritatis. Si quos autem de prauitate prædicta culpabiles inuenitis vel infectos, seu etiam infamatos, contra ipsos (nisi examinati absolute velint mandatis Ecclesiæ obedire) necnon & contra receptatores, defensores, & fautores eorum, iuxta sanctiones canonicas, auctoritate Apostolica, hominum metu diuino timori postposito procedatis. Non obstantibus aliquibus litteris ad quoscunque alios de Lombardia, & Marchia prædictis (exceptis locorum diocæsanis) super huiusmodi negotio ab Apostolica sede directis: quatum deinceps ad Inquisitiones huiusmodi faciendas nolumus auctoritate procedi: quinimo ne procedatur per illas districtius inhibemus. Nec prætextu commissionis specialiter, eisdem diocæsanis super hoc factæ, vestros processus in eorundem diocæsanorum ciuitatibus, & diocæsis volumus impediri. Nec per hoc quod fidei negocium generaliter in ipsis Lombardia & Marchia vobis committimus, commissiones à præfata sede diocæsanis eisdem factas, si forsan illarum, seu etiam ordinaria velint auctoritate procedere, intendimus reuocare. Veruntamen siue auctoritate ordinaria, siue ex delegatione prædictæ sedis, iisdem diocæsanis in huiusmodi negotio processerint, nequaquam volumus, vel per concursum processuum, vel aliâ quomodolibet vestros impediri processus, quin diocæsanorum ipsorum processibus non obstantibus, in eodem negotio procedere libere valeatis. Si vero aliqui ex prædictis heretica labe penitus abiurata, redire voluerint ad ecclesiasticam vnitatem, eis iuxta formam Ecclesiæ absolutionis beneficium impendatis & iniungatur eisdem, quod iniungi talibus consuevit: *prouiso solerter, ne simulata conversione redeant fraudulenter, & vos immo potius se ipsos fallentes, sub agni specie gerant lupum.* Quid si aliqui fuerint iudicandi hæretici: vel incarcerationis pœna perpetua alicui pro huiusmodi crimine fuerit infligenda, ad id per vos de diocæsanorum, vel vicariorum suorum, si ipsis diocæsanis absentibus præfentes fuerint, consilio procedatur: vt in tantæ animaduersionis iudicio non postponenda Pontificum auctoritas intercedat. Verum quia in tam graui crimine, cum multa oportet cautela procedi, vt in reos, sine vlllo proferatur errore, dura ac dignæ seueritas vltionis, volumus, & mandamus, vt vos, vel illi, quos ad hoc duxeritis deputandos, in examinatione testium, quos recipi super crimine prædicto, ipsumque contingentibus oportuerit adhibeatis duras religiosas, & discretas personas, in quarum præsentia, per publicam, si eodem modo potest adhiberi, personam: aut per duos viros idoneos, fideliter eorundem depositiones testium conscribantur. Ad conscribendas quoque huiusmodi depositiones testium, & ad faciendum omnia, quæ in commisso vobis officio, ad scriuarij seu tabellionis officium pertinent, tenei districtè præcipimus, cum per vos, seu deputatos ad hoc à vobis, requisiti fuerint, omnes & singulos vestri ordinis, fratres, qui dum essent in sæculo huiusmodi tabellionatus officium habuissent, & exercuisse noscuntur: & illos etiam, quibus idem tabellionatus officium, ratione præfati negocij si dei, fuit à dicta sede commissum, & in posterum committeretur. Concedentes huiusmodi fratribus, necnon & alijs religiosis quibuslibet, qui similiter dum essent in sæculo, dictum tabellionatus officium habuerunt, & exercuerunt: quibuscunque etiam clericis secularibus officium ipsam habentibus, etiam si iisdem fratres religiosi, & clerici sint in sacris ordinibus constituti, exercendi libere officium ipsam quo ad præmissa, non obstante aliquo contrario statuto canonis vel ordinis quocunque vallato munimine plenariam facultatem. Quod si testibus, quos à vobis recipi, vel ab alia vice vestra super eodem crimine examinari contigerit, ex publicatione nominum eorundem, videtis periculum imminere, ipsorum nomina non publice, sed secreta, coram aliquibus personis prouidis & honestis, religiosis & alijs ad hoc uocatis, de quorum consilio

ad

ad sententiam, vel condemnationem procedi volumus exprimentur: & sic non obstante quòd illis, A
 contra quos huiusmodi testes desposuerint, eorum nomina non fuerint publicata, ad cognitionem
 iudicis instruendam, adhibeatur plena fides testium depositionibus eorundem. Vt ergo commissi
 vobis officij debitum, vtilius & liberius exequamini, committendi citationes, testium examinatio-
 nes, cum de huiusmodi crimine, ac ipsius circumstantijs duxeritis inquirendum, & denuntiationes
 sententiarum, quas in quoslibet hac de causa tuleritis, accersendi quoque prout expedierit peritos
 quoslibet, vt vobis inferendis huiusmodi sententijs prabeant consilium opportunum, ac vobis assi-
 stant. Conuocandi etiam clerum & populum ciuitatum, castorum, aliorumque locorum prout di-
 cto negotio fidei videritis expedire. Insuper in dicto negotio, de plano, & abique iudiciorum, & ad-
 uocatorum strepitu; ac contra illos quos in prædictis Lombardia, & Marchia lanuensi in hæreseos
 crimine commississe constiterit, licet ad alias partes se transferendos duxerint, procedendi. Nec non
 faciendi obseruari inuolabiliter omnes constitutiones Apostolicas, & leges imperiales per quondam
 Fredericum olim Romanorum Imperatorem, tunc in deuotione Romanæ Ecclesiæ persistentem Pa-
 duæ promulgatas aduersus huiusmodi pestem hæreticam prauitatis. Ne non elargiendi viginti vel qua-
 draginta dierum indulgentiam, quoties opportunum videritis, omnibus vere penitentibus & con-
 fessis, qui ad vestram conuocationem propter hoc faciendam accesserint, plena sit vobis & singulis
 vestrum presentium tenore facultas. Vobis autem pro huiusmodi negotio laborantibus, illam pecca-
 torum veniam indulgemus, quæ succurrentibus terræ sanctæ, in generali concilio est concessa: socijs
 vero vestri ordinis, & notarijs vestris, qui una uobiscum in prosecutione huiusmodi negotij labora-
 bunt, & omnibus qui personaliter vobis assisterint in eodem negotio, & qui ad impugnandum hære-
 ticos, fautores, receptatores, & defensores eorum, uobis ex animo præstiterint consilium, auxilium, uel
 fauorem, de omnipotentis Dei misericordia, & beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius authorita-
 te confisi, tres annos de iniunctis sibi penitentijs relaxamus. Et si qui ex his in prosecutione huiusmo-
 di negotij forte decesserint, eis peccatorum omnium, de quibus corde contriti, & ore confessi fuerint,
 plenam veniam indulgemus. Compescendi præterea monitione præmissa, per censuram ecclesiasticam,
 appellacione postposita, prædicatores quæstuarios à prædicationis officio, quod ad ipsos nullatenus
 C
 forte habent, exponere, liberam vobis & singulis vestrum concedimus auctoritate presentium facul-
 tatem. Ceterum si forte, quod non credimus, aliqui cuiuscunque conditionis, huic negotio vobis com-
 misso se opponere, seu illud præsumperint aliquatenus impedire, vt non possit procedi liberè in eod-
 dem: immo nisi requisiti illud fuerint: & iuxta officium & posse suum, singuli inuenint studiose, con-
 tra eos tanquam contra hæreticorum fautores, & defensores, secundum sanctiones canonicas, seu ead-
 dem auctoritate, intrepide procedatis: nos enim nihilominus ad reprimendam tam superbam, & per-
 niciosam audaciam, & omnimode confundendam, in illos gladium Ecclesiasticæ potestatis acriter
 exeremus: & reges & principes, aliosque Christi fideles, siue pro terræ sanctæ succursu, siue alias pro
 Christi seruitio crucis caractere insignitos, necnon & ceteros catholicos, prout expedire viderimus,
 inuocabimus contra eos: vt cælum & terra aduersus detestabilem temeritatem ipsorum pariter mo-
 ueantur. Denique vt circa præmissa, plene vobis & singulis vestrum coercionis expedita, & inuio-
 labilis adsit auctoritas; volumus, vt ea omnia viriliter exequamini, inuocato si opus fuerit auxilio bra-
 chij secularis: contradictores per censuram Ecclesiasticam, appellacione postposita compescendo: non
 obstantibus aliquibus priuilegijs, vel indulgentijs, quibuscunque personis, cuiuscunque conditionis,
 dignitatis, vel gradus, religionis, vel ordinis, & præsertim Cisterciensium, Prædicatorum, Mino-
 rum, seu Eremitarum: siue communitatibus, vel vniuersitatibus ciuitatum & locorum, specialiter, vel
 generaliter, sub quacunque verborum expressione, vel forma, à memorata sede concessis, vel in poste-
 rum concedendis: etiam si dicatur in illis, quòd eis per aliquas litteras, totum de verbo ad verbum
 priuilegijs & indulgentijs, quibus ab ipsa sede concessum est aliquibus, seu concedatur deinceps, quòd
 excommunicari, vel ipsorum terræ supponi non possint Ecclesiastico interdicto: aut quòd Prædicato-
 rum, vel aliorum quorumlibet ordinum fratres, & executiones negotiorum, aut ad citationes quorum-
 libet, siue denuntiationes sententiarum, excommunicationis, suspensionis, vel interdicti, auctoritate
 litterarum Apostolicarum minime cogi possint, nisi de ipsorum ordinibus & priuilegijs, vel indulgen-
 tijs, eis super hoc à sede concessis, eadem habeatur in eisdem litteris mentio specialis: cum ex huius-
 modi, vel alijs priuilegijs, nullum vobis in tantæ pietatis negotio velimus obstaculum interponi, &
 constitutione de duabus dietis edita in concilio generali. Datum Viterbij xiiij. Kalen. Aprilis. Pontifi-
 ficatus nostri anno primo.

V R B A N V S IIII.

*Superiores religionum, in locis, vbi per eos exercetur Inquisitionis officium, assignent Inquisitoribus
 hæreticorum socios prudentes & idoneos: item vbi fuerint ab Inquisitoribus requisiti, alios fratres ad-
 iungant, vt negocium Inquisitionis melius valeat promoueri.*

V R B A-